Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uoluisti. si lapidasses ut lapidare semel & iterum uolu
isti. si gladio percussisses ut eum infantem funestus herodes
trucidare uoluit. nullatenus vel sic. vel sic perempti posset
imaginatio tam insignitur orbi terrarum spectanda pro
poni. Sed iam soluamus litem. & ueni mecum intus in domum
patris qui me recepit. et pro reuersione mea diem festum
agens uitulum saginatum iussit occidi et manducemus
ait & epulemur. quia hic filius meus mortuus erat & reuixit.
perierat et inuentus est. Veni intus ut simul epuleris crede
ut mecum salueris. l v d. Hoccine mihi persuadere
uis ut tecum epulans carnes quoque suillas comedam ceteraque
inmunda que lege prohibita sunt. Xpianus Dicit hac re pro
minimo mihi loqui tecum. quia sicut iam alibi dixi. precepta
huiusmodi. precepta non bona sunt. & data maxime propter
reatum uituli. sicut ipse apud ezechielem cum premisisset &
exacerbauerunt me. in preceptis meis non ambulauerunt
et cetera. usque & post idola patrum suorum fuerunt oculi eorum
ita subiunxit. Ergo & ego dedi eis precepta non bona.
& iudicia in quibus non uiuent. Michi omnis creatura bona.
et nichil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.
Nam ad noe et ad filios eius post diluuium dixit deus. Omnes pisces
maris manui uestre traditi sunt. & omne quod mouetur et uiuit
erit uobis in cibum. Quasi holera uirentia tradidi uobis
omnia. excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.
Ergo si absque discretione omnes pisces maris l v d.
ait deus manui uestre traditi sunt. et omne quod mouetur et uiuit.
erit uobis in cibum. quasi holera uirentia tradidi uobis
omnia. cur non etiam canem comedis. cur non etiam ranam